

ascripti vitam *Canonibus* conformem ducerent. (10. Et ipsis etiam fundos per vitam suam possidendos assignabat Episcopus, ut docet Concilium Aurelianense tertium, cap. 17, et sic *Canonicorum*, et *Præbendarum* origo, nomen, et usus invaluit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Primis Ecclesie sæculis quicumque Clerici certæ Ecclesie addicti, quique ex ejus penu alebantur, vocabantur *Canonici*. (12. Ratio denominationis inde petita fuit, quod *Albo*, seu *Matriculæ* Ecclesie fuissent inscripti: (13. tum quod stipendiis Ecclesie militarent. (14. Canon enim antiquis Scriptoribus non raro significat Ecclesie *Matriculam*, seu *Album*. (15. Præterea etiam Canon pensionem, stipendiumque denotat, quod vel jus Romanum docet in l. 1, cap. de *Induct.*, l. unic. *Cod. de Collat. bon.*; l. III, cap. *Quæ res vend. non poss.* Confer etiam Anton. Matthæi de *Nobil. lib. II, c. 33*; Gerard. de Bois in *Histor. Paris. lib. VI, cap. 1, § 5*. (16. At ab his minime ortum trahunt qui hodie in oppositione ad cæteros Clericos dicuntur *privative Canonici*. (17. Postea enim dicti sunt *Canonici* qui vitam quamdam communem agebant, communi refectorio, et dormitorio utebantur, et ita speciale ali-quod Collegium constituiebant. (18. Nova hæc *Canonicorum* ratio apparuit tempore Pippini, auctore Chrodegango *Metensium* Episcopo, qui Clericos suos in unam congregavit societatem, et in uno Claustro ad vitam communem ad instar *Monachorum* colendam eosdem traxit, perduxitque, certas illis regulas vivendi præscribens; Paul. Diacon. in *Fragment. de Episcop. Metens.* apud *Duchesnium*, tom. II, *Histor. Fran.*

(19. Non omnis tamen *Clerus*, sed tantum *Cathedralis* Ecclesie a Chrodegango ita collectus est. (20. Propagata vero fuit *Regula* Chrodegangi tempore *Caroli Magni*. (21. Adeoque sub hoc novo instituto quotidie crevit *Clericorum* numerus, ut *Congregationibus* Ecclesie *Cathedralis* non omnes possent coadunari. (22. Hinc plura *Collegia* *Canonicorum* extra Ecclesias *Cathedrales* sunt exorta, quod vel hodie *Ecclesiarum* *Collegiatarum* *Canonici* docent. (23. Omnium tamen una erat ratio, et conditio. (24. Sæculo autem decimo passim *Canonici* *pristinam* deseruerunt *disciplinam*; *Trithemius* in *Chron. Hirsaugiensi* de anno 977. (25. Ad evitandam autem *expulsionem* *Canonicorum* male viventium *vita regularis* inventa est. (26. Sunt qui *Petro Damiani* reformationis opus ascribunt, et *Regulam* in calce ejus operum editam, hunc in finem ab eo conscriptam esse contendunt. (27. At *Natalis Alexand. Petrum* de *Honestis* Auctorem hujus novi instituti facit, eumque a *Petro Damiani* distinguendum esse demonstrat. (28. Duplex posthac emersit *Canonicorum* status. Qui proprietati renuntiabant, *Regulares*, cæteri qui extra communem vitam vivebant, *Sæculares* dicti sunt, qui in sæculo adhuc manerent, ad quod proprietatem bonorum retulerunt.

ADDITIONES NOVISSIMÆ

(29. *Canonici* dicebantur qui juxta regulam propriæ suæ Ecclesie vivebant. *Concil. t. II, can. 20*. (30. Licet *Urbanus II*, in *Concil. Claromont. can. 9*, et *Arnulphus Episcopus Lexov.*, *Epist. ad Alex. Pap.* *Præbendam* *Canonicam* pro *Canonica* ponant, valde tamen differunt jure communi inspecto; (31. nam *Canoniam* est jus habendi sedem in Choro ad canendum, et vocem in Capitulo, proveniens ex electione, seu receptione in fratrem; (32. *Præbenda* vero ex se non habet sedem in Choro, nec vocem in Capitulo; et titulus *Canoniam* est receptio in fratrem, titulus vero *Præbendæ* collatio. (33. *Canoniam* per se absque *Præbenda* *Beneficium* *Ecclesiasticum* esse pluribus textibus evincitur. (34. Nam *Canonici* habet jus percipiendi *Distributiones* quotidianas, quæ licet fructus *Beneficii* non sint, sunt emolumenta, quæ propter officium impensum in Ecclesia præstantur. *Barbosa*, de *Canonicis*, cap. 21; *Solorzanus*, de *Jurib. honor.*, n. 481, et *Moneta*, de *Distrib. q. 6*, per totum. (35. *Canonicorum* institutum *antonomastice Militia Clericalis* dicitur; et ab exactiore, quam profitentur, *Canenum* custodia *Canonici* nomen sortiuntur. (36. *Canonice* *Regulæ* *primaria* fuit institutio, ut sub *Episcopo* *Canonici* essent sancte viventes, et prompti ad omne *Ecclesiasticum* ministerium, ad quod a *Præposito* suo ordinarentur. (37. Unde nemini dubium esse potuit quin *Canonici* subsidio et adjutorio *Episcopis* esse teneantur. (38. *Primis* temporibus, qui dicebantur *Canonici* prope domum *Episcopalem* sub uno *Directore* habitare solebant; (39. at postquam *Episcopi* plures Ecclesias sub uno regimine habere cœperunt, *Canonicorum* *Collegia* aliis in locis ab *Episcopis* aut *fidelibus* constructa fuere, tum ut ipsi, utpote *Canonum* *singularem* *custodiam* *profitentes*, reliquo *Clero* *superintenderent*, tum etiam ut in ipsis *Capitulis* *personas* *haberet* *Episcopi*, quæ sibi in regimine *populi* forent *adjutores*. (40. *Canonicorum* *Collegia*, dum olim *Canonici* vitam communem agerent, unoque *clau-*stro sub certa *regula*, et *superiorum* *directione* viverent, *Monasteria* dicta fuisse ex monumentis, et *scriptoribus* antiquis *notissimum* est. (41. At postquam *Canonici*, abjecta *vita* *communi*, ad *vitam* *singularem* transierunt, *externaque* *vivendi* *disciplina* se plane a *Monachis* et *Regularibus* in communi viventibus discreverunt, eorum Ecclesie sive *Collegia* dici cœperunt *Capitula*. (42. *Singularitate* *semel* *introduc-ta*, suas etiam *Congregationes*, quæ prius *Conventus*. sive *Collatio* dicebantur, *Capitula* dixerunt, eaque quæ in illis *Congregationibus* acta sunt, *Acta* *Capitularia*, et *capitulariter* *Acta* dicuntur. (43. Ob *singularem* *vitam*, quam inter *sæculares* vivere cœperunt, *Canonici* *sæculares* dicti sunt; quæ *nomenclatura* *profuit* ex eo quod, cum antea in *claustris* ab omni mundi strepitu et *hominum* *sæcularium* *conversatione* segregati plane a *sæculo* exiisse viderentur, nunc inter *sæculares* ho-

mines conversentur et habitent. (44. Sed quidquid *mutationis* *intervenerit*, unice ipsam *exteriorem* *vivendi* *disciplinam* concernit, qua etiam non observata, *Canonici* quæ suæ sunt *vocationis* et *professionis*, exacte adimplere possunt.

ARTICULUS II.

Canonicatus *quoad* *collationem* *et* *possessionem*.

(1. *Quamvis* de *Jure* *collatio* seu *provisio* *Canonicatum* in *Ecclesiis* *Cathedralibus* *simultaneæ* *spectare* *præsumatur* ad *Episcopum* et *Capitulum*, ut per *Glossam* *communiter* *receptam* in c. *Cum Ecclesia Vulterana* 31, de *Election.*; *Rota* *part. II, rec. decis. 124*, num. 1; *decis. 685*, num. 4; *part. IV, tom. I, decis. 529*, num. 1; *part. V, tom. II, dec. 440*, n. 9; *dec. 444*, num. 1; *part. XVI, dec. 244*, num. 1, cum sequent. *part. XIX, tom. I, dec. 121*, num. 1. (2. *Consuetudo* tamen in contrarium attendi debet, videlicet quod ad solum *Episcopum* *privative* *quoad* *Capitulum*, vel e converso ad solum *Capitulum*, *privative* *quoad* *Episcopum* *Episcopum* *collatio*, seu *provisio* *pertineat*; c. *Cum Ecclesia Vulterana* 31 de *Election.*, c. *Ex parte Astensis Ecclesia*, de *Concessione* *Præbendæ*; *Abbas* in *cit. c. Cum Ecclesia Vulterana*, n. 1, et 10; *Cassador.*, *dec. 22*, n. 2, de *Præbend.*; *plene* *Barb.*, de *Canonicis* et *Dignitat.*, cap. 14, num. 20; *Rota*, p. 3, *dec. 124*, num. 1; p. v, tit. 2, *dec. 444*, n. 1; p. xvi, *dec. 244*, n. 2; p. xix, *tom. I, dec. 121*, n. 2. (3. *Consuetudo* *Canonicatus* et *Dignitates* *conferendi* a *Capitulo* *irrequisito* *Episcopo* *probatur* ex *collationibus* *factis* *tantum* ab *eodem* *Capitulo*; *Rota* *part. III, dec. 124*, in *Casalensi* *Juris* *conferendi*; *part. XVI, decis. 244*, in *Beneventana* *Jur. conferendi*; *part. XIX, tom. I, dec. 121*, in *Novarien.* *Canonicatus*. (4. *Quæ* *consuetudo* ad *exclusionem* *simultaneæ* *collationis* *præscribitur* *spatio* *quadraginta* *annorum*, ut tenent communiter *Doctores* in cap. *Cum de Beneficiis*, n. 6; *Glossa* *fin. in principio* in cap. *fin.*; *ibique* *Abbas* *num. 7*, de *Consuet.*; *Barbosa*, de *Canonicis*, cap. 14, n. 20; *Peregrin. cons.*, 28, num. 4 et 5; *Gonzales* *super* *Regul. 8*; *Cancell. Glossa 7*, num. 8; *Lotter. de Re benef.*, lib. 1, qu. 21, num. 47; *Rota*, *part. XI, recent. decis. 74*, num. 12; *part. XVI, decis. 224*, num. 3.

(5. *Nedum* in *Ecclesiis* *Cathedralibus*, sed etiam in *Ecclesiis* *Collegiatis* *sæcularibus* *collatio*, seu *provisio* *Canonicatum* *spectat* *simultaneæ* ad *Episcopum* et *Capitulum*; *Rota*, *part. I, recent. decis. 232*, num. 2; *Barbosa* de *Canonicis*, c. 14, num. 15, cum pluribus ibi cit. (6. *Nec* *pertinet* ad solum *Episcopum*; *Rota*, *part. III, dec. 289*, n. 2; *Dec. respons. 6*, n. 11 et 12; *Cassador.*, *decis. 22*, de *Præbend.*, num. 3. (7. *Nisi* *consuetudine* aut *pacto* *Episcopus* *dictos* *Canonicatus* *conferendi* *facultatem* *acquisiverit*; *Rota*, *cit. part. III, decis. 287*, n. 3. (8. *Quo* *casu* *Episcopus* *habens* *vigore* *pacti*, aut *consuetudinis* *facultatem* *conferendi* *Canonicatus* *Ecclesie* *Collegiatae*, *excludit* *reservationem* *in* *vim* *alternativæ*; *Rota*, *cit. decis. 289*, num. 4.

(9. *Quando* *Canonicatus* *sunt* *simultaneæ* *collationis*, *Indultum* *concessum* *Ordinario* *suffragatur* *etiam* *Capitulo*; *Rota*, *part. V, tom. II, dec. 440*, num. 8. (10. *Imo* *quando* *est* *simultaneæ* *electio*, seu *collatio* *inter* *Ordinarium* et *Capitulum*, si *Ordinarius* *reperiat* *hæc* *exemptio* *prodest* *etiam* *Capitulo*; *Rota*, *part. V, tom. II, dec. 444*, n. 12. (11. *In* *his* *collationibus* *simultaneis* *Episcopi* et *Capituli* *tantam* *potestatem* *habet* *Episcopus* *solum* *per* *se*, *quantam* *habet* *totum* *Capitulum*, et e contra: l. *Titio*, et *hæredibus*, ff. de *Usufruct. l. Mulierum liberis*, ff. de *Hæred. instit.*; *Selv. de Benef.*, *part. II, q. 17*, n. 9; *Gonzalez* *ad regul. 8*; *Cancellar. Glossa 45*, n. 51; *Nicol. Garcias* de *Benef.*, *part. IV, cap. 6*, n. 28; *Lotter. de Re benef.*, *lib. II, part. XXI, n. 39*; *Rota*, *dec. 783*, *lib. III, part. III*; *divers.* (12. *Si* *Episcopus* *conferat* *uni*, et *Capitulum* *alteri*, *neutra* *collatio* *valebit* *quia* *ad* *invicem* *se* *impediunt*; *Gonzalez* *ad* *reg. 8*. *Cancell. Glossa 45*, n. 58; *Nicolaus* *Garcias*, *cit. cap. 4*, n. 29, ubi a n. 33, cum sequent. ex multis *Sacræ* *Rotæ* *Decisionibus* *ostendit*, quod cum *neutra* *collatio* *valeat*, si *Papa* *provideat* *tertio*, etiam *sequenti* *die*, *ille* *dicitur* *habere* *potius* *Jus*, et *ejus* *possessio* *erit* *bona*. (13. *Imo* *stante* *dicta* *discordia* *inter* *Episcopum* et *Capitulum*, *Papa* *non* *tenetur* *conferre* *tale* *Beneficium* *uni*, vel *alteri* *nul-*liter per *Episcopum* et *Capitulum* *provisis*, nec *gratificari* *digniori*; *Rota* in *Hispanensi* *Portionis* *19* *Januar. 1590* *coram* *Pamphilio*. (14. *Sede* *Episcopali* *vacante*, vel *Episcopo* a *Beneficiorum* *collatione* *suspensio*, *stante* *simultaneæ*, *collatio* *spectat* *ad* *Capitulum* *Jure* *proprio*; *sicuti* *e* *contra*, *effecto* *inhabili* *Capitulo*, *collatio* *Jure* *proprio* *spectat* *ad* *Episcopum*, *textu* *expresso* *in* *cap. unico*, *Ne sede vacante*, in 6; *ibi*: « *Si* *ad* *Episcopum* et *Capitulum* *communiter* *pertineat* *collatio* *Præbendarum* *mortuo* *Episcopo*, vel a *Beneficiorum* *collatione* *suspensio*, *poterit* *Capitulum* *vacantes* *conferre* *Præbendas*, etiam si *Episcopus* *interesse* *habeat* *in* *collatione* *hujusmodi* *ut* *Praelatus*. *Idem* *poterit* *Episcopus*, si *Capitulum* *ab* *ipsa* *collatione* *suspendi* *contingat*, vel *singulariter* *omnes* *de* *Capitulo* *majoris* *excommunicationis* *vinculo* *in-*nodari. »

(15. *Possessio* *Canonicatus* *sive* *Dignitatis*, quæ sit de *Capitulo*, *capitulariter* *capitur* *debet*; cap. *Si capitulo* 5, de *concessione* *Præbendæ*, num. 6; *Rota*, *part. V, tom. I, dec. 97*, num. 21; *part. X, decis. 140*, num. 12. (16. *Aliter*, si non sit *capitulariter* *capta*, est *nulla*, nec est *manutenibilis*; *Rota*, *part. II, decis. 701*, num. 5; *part. VII, dec. 216*, num. 13; *part. IX, tom. I, dec. 183*, num. 4 et 6; *part. XIII, decis. 433*, num. 12 et 14. (17. *Imo* *possessio* *non* *capitulariter* *capta* *de* *Canonicatu*, non *suffragatur*, *quamvis* *fuisset* *capta* *de* *mandato* *Executoris* *Litterarum* *Apostolicarum*; *Abbas* in *cap. 1*, num. 16, de *Consuetudine*, et in *cap. Transmissam*, num. 3 de *Election.*; *Cassador.*, *decis. 8* de *causa* *possess.*; *Rota* in *Metens. Canonicatus*, et in *una* *Senens.* et alia *Tarvisina* *Canonicatus*, *quarum* *me-*

minit Beltran. in Annotat. ad Gregor. XV, decis. 634, num. 7, post princip. vers. *Et conclusio procedit.* (18. Ut possessio dicatur capitulariter capta, debet convocari Capitulum ad sonum Campanæ; Rota, part. ix, tom. I, decis. 158, num. 7. (19. Quæ si sit capta sine prævio sono Campanæ, non dicitur capitulariter capta, et est nulla, de cujus soni attestazione non statur depositioni Notarii sine testibus; Rota, cit. part. ix, tom. I, decis. 138, num. 10. (20. Possessio, ut dicitur capta, debet Canonicus sedere in Sede propria Canonicatus, de quo agitur, et non in alia; Rota, in Vercellensi unitatis Capituli, 22 Junii 1598, coram Penia, in Tarraconensi Canonicatus, 26 Junii 1609, coram Ottemberg., in Bracharensi Archidiaconatus, 2 Decemb. 1630, coram Coccino, et part. iii, recent. decis. 594, num. 4. (21. Capta hora Missarum cum assignatione Stalli in Choro, et loci in Capitulo, est sufficiens; Rota, part. iv, tom. I, decis. 496, num. 2. (22. Habetur possessio pro capitulariter capta, si Capitulum sine justa causa eam tradere recusavit; cap. *Si Capitulo* 5, de Concessione Præbendæ, in 6; Rota, part. v, tom. I, decis. 97, n. 23, in Alexandrina Archipresbyteratus coram Merlino, et part. ix, tom. II, decis. 389, num. 1. (23. Ita ut Capitulo alleganti justam causam incumbat onus eam probandi; Rota, dict. part. ix, tom. II, dec. 389, num. 2. (24. Habetur etiam pro capitulariter capta, si prima dignitas demandavit convocari Capitulum, et vocati noluerint intervenire, nisi duo, vel tres Canonici, in quibus dicitur residere totum Jus Capituli; arg. cit., cap. *Si Capitulo*; Rota, part. v, t. I, decis. 34, num. 8. (25. Imo Capitulum potest representari in unico Canonico in casu traditionis possessionis Canonicatus, et omnibus Canonicis injuste reluctantibus, potest possessio tradi ab unico Canonico, et sic tradita et capta est manutenibilis; Rota, part. ix, tom. I, decis. 78, num. 4 et 5. (26. Aliquo impedimento existente, propter quod possessio capitulariter capi non possit, sufficit si aliter capiatur. Sic Rota aliis decisionibus relatis in Nullius Præposituræ Castridurantis, 4 Julii 1623, coram Rambaldo. Et quod in Ecclesiasticis possessio habeatur pro tradita, ubi fuit præstitum impedimentum ex recursu ad Judices laicos. Ludov. Pastic. in tractat. Mandati de manutenendo, observat. 21, n. 17. Rota apud eundem, decis. 175, num. 15. Barbosa, de Canonicis, c. 15, n. 12.

(27. Possessio Canonicatus, quod sit legitime capta, justificatur ex actibus Canonicis per Canonicum gestis cum præsentia, et patientia Capituli; Cassador., dec. 8, de Caus. possession., et decision. 5, num. 3, de Jurepatr.; Burat, decis. 522, num. 12; Barbosa, de Canon, cap. 15, n. 16; Rota, part. v, tom. I, decis. 97, in Alexandr. Archipresbyteratus. (28. Hinc Canonicus, si successive post adeptam possessionem non capitulariter captam, ex patientia Canonicorum ad actus Canonicos tantum competentes admissus fuerit, tunc censetur legitimus possessor; Rota, part. i, recent. dec. 91,

num. 6 et sic etiam fuit decisum in Spoletana Canonicatus, 8 Jun. 1605, coram Ubaldo, et in Carthaginensi Canonicatus, 5 April. et 25 Maii 1609, coram Card. Lancelot. junior. (29. Talis autem patientia Capituli, seu Canonicorum non sufficit ad validandam possessionem in præjudicium tertii, qui inter actus prædictos Canonicos apprehendit possessionem capitulariter; Rota, decis. 1156, vers. *Nec patientia*, part. iii, lib. iii, decis., et fuit pariter sic decisum in Calliensi Canonicatus, 29 Januar. 1619, coram Cardinali Pamphil. junior. (30. Canonicatus injuste possidens superveniente sibi novo titulo valido, potest continuare possessionem ipsam de facto, mutato solum primo jure, et titulo possessionis, quæ mutatio ipso jure statim facta intelligitur data notitia secundi tituli, etiam absque alia declaratione; Rota, part. v, tom. I, recent. dec. 97, in Alexandr. Archipresbyteratus coram Merlino, 28 Junii 1627, ubi Dominus Massobrius de Solerio fuit præsentatus a Domino Arnutio, et ab illustrissimo Episcopo obtenta institutione, apprehendit capitulariter possessionem Archipresbyteratus, pluresque actus concernentes Officium hujusmodi Dignitatis, nec non etiam curam animarum illi adnexam exercuit. Verum monitus assertum Juspatronatus non subsistere, imo cum vocatio contigerit de mense Augusti, illius collationem spectare ad Sanctissimum, ab eo impetravit provisionem cum solito tamen decreto, quod renuntiaret dictæ præsentationi, prout his verbis, decreto paruit: « Renuntiavit præsentationi, et institutioni, ac possessioni exinde secuta, et d. Archipresbyteratus uti reservatum, et non aliter, in futurum possidere velle declaravit. » Et continuando in reali possessione, post hujusmodi renuntiationem, interfuit Choro, Processionibus, et aliis functionibus capitularibus. Unde cum fuisset dubitatum an eidem Massobrio dandum esset mandatum de manutenendo, ter ac mature discusso articulo, fuit affirmative decisum. Et iterum reposita in Sacra Rota eadem causa 24 Novembris 1627, permanserunt Domini in decis.; Rota cit. part. v, tom. I, decis. 103, in eadem Alexandrina Archipresbyteratus coram Merlino. (31. Imo si Canonicus falsus diu stetit in possessione, et deinde a Papa obtinuit provisionem, non erit necessaria nova apprehensio, et installatio, quia ipso Jure fit quædam conversio ex novo titulo superveniente; Bald. in l. ii, n. 63, vers. *Sed pone*, C. de Serv. et aqua, Cravetta consult. 171, num. 1, vers. *Secundo pro hac*; Rota, cit. part. v, tom. I, dec. 97, num. 7, in dicta Alexandrina Archipresbyteratus coram Merlino.

(32. Pro admissione ad possessionem Canonicatum, aut Præbendarum, et Distributionum quotidianarum sunt prohibita certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesque illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum luera; Concil. Trident., sess. xxiv, de Reform., cap. 14, et

S. Pius V, in Constit. incip. *Durum nimis*, sub dat. pridie Kalend. Julii 1570, ubi revocavit privilegia, et consuetudines Ecclesiarum aliquid recipiendi in collatione, seu admissione ad possessionem Beneficiorum. (33. Dulciora multa sunt de genere prohibitorum a Conc. Trid. dicto cap. 14, ab aliquo Capitulo exigendorum pro admissione in possessionem alicujus novi Canonici. Sic a Sac. Cong. Concil. fuisse decisum refert Zerol. in prax. Episc., p. 2, verb. *Possessio Beneficii*, § 5 in fine. (34. Neque Dulciora quædam vulgo nuncupata *Confetture* possunt exigi pro admissione ad possessionem Canonicatus, ex dicto cap. 14, sess. 24, de Reform. etiam concurrente consuetudine antiquissima; sic censuit Sacra Congreg. Concil. in Tridentina 19. Februar. 1633. (35. Unde consuetudo donandi aliquid in ingressu, et admissione alicujus ad Canonicatum est sublata per Concil. dict. cap. 14, ut decisum fuisse a Sac. Congreg. Concil. refert Armen. in addit. ad recop. legum. Navar. lib. i, tit. 18, l. 7, de Episc., num. 10, resp. 8, prout et illa, secundum quam provisi solvant cæteris prandium, ut etiam decisum fuisse ab eadem Sac. Congreg. Concil. refert Barbosa de *Canonicis*, cap. 15, num. 28, et talem consuetudinem abolendam esse respondit etiam Sac. Cong. Episcop. in Caputaquen. 7 Martii 1692, et Sac. Congreg. Concil. in Burg., 3 septemb. 1729. (36. Sic consuetudo, quæ imponit onus recepto in Canonicum, quod tendat in utilitatem Canonicorum, etiamsi convertatur in reparationem, et restaurationem prædiorum, molendinorum, ac quorumcumque bonorum mensæ capitularis, est per dictum cap. 14. Concilii reprobata. Ita decisum fuisse a Sac. Concil. Cong. refert Garcias tract. de *Benefic.*, part. viii, cap. 1, num. 90. (37. Unde nec Episcopus cum consensu Capituli statuere potest, ut aliquid minimum solvatur in ingressu Canonicorum. Sic decisum fuisse ab ead. Sacra Congr. refert Barbosa de *Canonicis*, cap. 15, num. 25. (38. Nec Episcopis licet quidquam sibi accipere pro collatione Canonicatus, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, ut pariter fuisse decisum ab eadem Sac. Congr. refert idem Barbosa, loc. cit., n. 26.

(39. In dicto autem Decreto Concilii, cap. 14, sess. 24 de Reform. et in dicta Bulla S. Pii V, incip. *Durum nimis*, non comprehenduntur statuta, et consuetudines de serviendo per annum, vel aliquod tempus, et nihil percipiendo interim de Massa grossa, nisi peracto integro dicto servitio. Sic decisum fuisse a Sac. Concil. Cong. refert Garcias de *Beneficiis*, part. xi, cap. 5, num. 138. Barb. de *Canonicis*, cap. 15, num. 7, et supra Concil., sess. 14, cap. 14, num. 4. Pignatell., tom. III, consult. 38, num. 10, et recenter iterum declaravit Sacra Cong. Concil. in Andrien. 2 Maii 1699, et 20 Decemb. et 8 Augusti 1699. (40. Sic in Ecclesiis, in quibus adest consuetudo, ut Clerici et Presbyteri Canonici, antequam admittantur ad participationem Massæ, debeant inservire

FERRARIS. II.

per plures annos, et Missas celebrare gratis, est servanda, ut declaravit Sacra Congr. Concil. in Salernitana, 11 Maii 1609, in Policast., 13 Januarii 1683, in Hydruntina, 28 Novemb. 1705. (41. Valet etiam, et servanda est consuetudo Ecclesiæ Astensis, quod fructus spectent ad Capitulum, donec Beneficiatus sit Sacerdos; Sac. Congreg. Concil. 6 Maii 1617, quæ ad propositum dubium de valore talis consuetudinis censuit « valere hujusmodi consuetudinem, quia intentio Concilii dicto c. 14 fuit, ne ratione collationis aliquid reciperetur. » (42. Tenet pariter, et observanda est Constitutio facta per Episcopum, et Capitulum post Concil. Tridentinum ad solvendam certam quantitatem ratione novæ possessionis Canonicatum, quæ integra cedit in fabricam Ecclesiæ; nihil autem ex pecunia Notariis, Cursoribus, Campanariis, aliisque Ecclesiæ Ministris, quibus alia constituta sunt salaria, attribuendum; Sacra Congreg. Concil. in Segobien. 11 Julii 1590. (43. Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit Canonicus, fructus Canonicatus sint hæredum antecessoris, istum casum non comprehendit Decreto Conc. Tridentini sess. 24, de Reform. nec dicta Bulla S. Pii V, incipiente *Durum nimis*, decrevit Sac. Congreg., ut refert Garcias de *Benefic.*, part. xi, c. 5, n. 138, et censuit Rota, dec. 660, p. 4, divers. (44. Clericus, quamvis ignobilis, et parum scientificus, eligi, seu præsentari potest in Canonicum Cathedralis, et in possessionem debet admitti, etiamsi dicta Cathedralis ab immemorabili non consueverit tales admittere. Textu expresso in cap. *Venerabilis* 37, de *Præbendis*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. De collatione Canonicatum de jure spectante ad Episcopum simul et Capitulum, de qua hic primo loco agit Auctor, vide quæ diximus in additione ad verb. *Beneficium*, art. 4.

(46. Disserit secundo loco Auctor de possessione Canonicatus. Hic vero non incongrue discuti potest, an Canonicus, qui facto alterius injuste impeditus fuit, quominus possessionem Canonicatus apprehenderet, pro possessore a principio habendus sit, tum contra ipsum impediendum, tum contra tertium, cui jus interim fuit quæsitum? (47. Hæc autem obtinuit distinctio: si impedimentum non est nisi indirectum, habetur Canonicus ille pro possessore contra impediendum dumtaxat; (48. Contra vero si impedimentum est directum, ut si quis ab apprehensione possessionis recta repellatur, pro possessore habetur dictus Canonicus, tum contra impediendum, tum contra tertium quemcumque; vide Rotam in Derthusen. Canonicatus, 25 Aprilis 1749, § 16, et in confirmatoria, 1 Decembris ejusdem anni 1749, § 7 coram R. P. D. Canilliac.

(49. Restat ut verba de eo faciamus, an Capitulum pro possessione Canonicatus aliquid exigere a Canonico queat, de quo ultimo loco tractat auctor. (50. Convivium

exigi velat textus in cap. *Jacobus, de simonia*. Concilium vero Lateranense in c. *Quum in Ecclesia eadem* generaliter prohibet quidquam exigi. (51. Verum Urbanus IV, alias V, Extravag. *Sane*, de simon. int. commun. non solum quidquam in privatam utilitatem exigi vetuit, sed et in usum pium; idque locum habere voluit, tametsi pecunia, vel alia res ex pura liberalitate, vel alia pactione daretur. (52. Quumque constitutio illa religiosas domos, ac Monasteria potissimum concerneret, Concilium Basileense sess. 21. §. 1. (53. id etiam in electione, postulatione, provisione, collatione, institutione et installatione, quorumcumque beneficiorum servari præcepit, et solummodo salaria Scriptoribus, Abbreviatoribus, et registratoribus Litterarum, seu Minutarum juxta modum laboris solvi permisit. (54. Licetque Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 15. de *Reformat.* innovaverit, imo corroboraverit prohibitiones hasce, abrogando quascumque contrarias consuetudines, (55. nihilo tamen minus limitationem addidit quoad ea, quæ in pios usus convertuntur. (56. Idque ipsum sanxit S. Pius V. in Constitutione, cui initium est *Durum nimis*, quam innovavit Innocentius XII (57. in Constitutione incipiente *Ecclesiæ Catholicæ*.

(58. Sunt qui tenent, Concilium Tridentinum non permittere nova condita statuta, quorum vigore exigi possit pro possessione Canonici aliquid in pios usus erogandum, sed si qua sunt statuta, eaque confirmata vel vere, vel præsumpte, tum consuetudines jam inductas tantummodo approbat, ut refutato *Oliua de For. Eccles.*, part. 3. qu. 6. num. 36. firmat Louvrex dissert. can. 2. sub num. 66. (59. Quod si Canonici talia nova statuta condere velint, ea non nisi auctoritate S. Sedis condere possunt, uti præter Louvrex ubi supra tradunt Garz. de *Benefic.* part. 8. cap. 1. n. 87. et duob. sequ. *Zipæus Jur. Pontific. nov.* lib. v. tit. de *Simon.*, num. 8. Plures vero in Folio S. C. Concilii interpretes in Leodien. Capitulationum 30 Septembris 1730, afferunt resolutiones tum ipsius S. C. tum alterius Episcoporum, et Regularium negotiis præpositæ, quibus probata videntur talia statuta sine auctoritate S. Sedis condita. In dicta tamen Leodien. Capitulationum ad 1. dub. Sac. C. Concilii interpretes improbavit hujusmodi statutum. At eo in casu agebatur de statuto condito secuta jam vacatione eorum Beneficiorum, quæ gravata fuere favore Fabricæ Ecclesiæ.

(60. Omittendum non est, quod Fagnanus in cap. *In ordinando*, num. 4. de *Simon.* et in cap. *Præterea*, n. 65. et 81. *Ne Prælati vires suas*, tenet valere statutum aut consuetudinem, cujus vigore aliquid in pios usus erogandum exigitur pro possessione Canonici, si ipsemet Canonici onere illo gravetur, ita ut ipsum tamquam Canonici inhærens post apprehensam etiam possessionem exigi possit; nequaquam vero si onus ipsum Canonici afficiat, adeo ut apprehendere nequeat possessionem, antequam sol-

vat integram summam præfinitam. Louvrex d. dissert. can. 2. n. 65. (61. distinctionem hanc subtilitati potius, quam veritati inniti contendit, censetque in genere sustineri statutum aut consuetudinem exigendi aliquid erogandum in pios usus, attentâ dispositione Concilii Tridentini id permittentis correctis antiquis Canonibus. Idemque videtur sentire Tondut quæst. *Benefic.* par. 1. cap. 67. n. 6.

(62. Quoniam in nonnullis Ecclesiis, dum recipiuntur Canonici, examinari debent eorum qualitates, testes audiri, vel inspicere instrumenta, quæstionis est, an hoc saltem nomine exigi aliquid valeat. (63. Vide contrarias inter se opiniones apud Louvrex dict. dissert. can. 2. n. 67. et seq.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(64. Cum Canonici et Episcopus unum quasi corpus sint, æquum apparet, ut ad electionem membrorum totum corpus concurrat.

(65. Hinc indubie factum, ut in nonnullis Ecclesiis Cathedralibus etiamnum hodie Canonice electio spectet ad Episcopum et Canonicos. At illud notandum, quod in illis Ecclesiis in quibus hæc collatio ad Episcopum et Capitulum spectat, non ubique eodem modo ad electionem Capitulum et Episcopum concurrant. (66. In aliquibus enim Ecclesiis Episcopi suffragium æquivalens suffragio Capituli; ita ut non simul capitulariter eligant Canonici et Episcopus; sed Episcopus separatim eligat, et Capitulum suum suffragium Episcopi suffragio æquivalens depromat, ideoque hoc casu et Episcopus et Capitulum suum jus, sive suffragium diverso loco, diversoque tempore vel modo dare possint; uti notat De Luca *De summa Beneficiorum*, num. 10. Episcopus nempe singulariter, Capitulum vero collegialiter. (67. Quia vero ob concurrentiam in diversas personas non raro difficultates oriebantur, laudabilis inolevit usus, ait citatus De Luca, hujusmodi juris exercitium dividendi per alternativam, seu per menses et tempora, ut quilibet nomine consortis totum jus absque hac discrepantia exerceat. (68. Plerumque autem hæc electio simultanea fit per Episcopum et Canonicos capitulariter congregatos, soletque Episcopus tamquam Caput Capituli proponere et concludere, eoque titulo suffragium decisivum in paritate habere; præter quod subinde habet suffragium absolutum. (69. Quod autem nonnunquam Episcopus interveniat ut Canonici, patet ex cap. 15. tit. *De concess. Præbendæ* in his verbis: « Nisi forte Archiepiscopus non ut Prælati, sed ut Canonici vobiscum jus habeat conferendi. » (70. Ulterius quemadmodum labentibus sæculis cœperunt Capitula Cathedralia se ab Episcoporum jurisdictione eximere, atque bona Capituli separare a preventibus Episcopi, et corpus suum ita distinguere, ut et etiam a negotiis suis omnino Episcopum excludere cœperint, ut nec ipsum Capitulum interesse sinerent; (71. non minus proinde, quod ipsum Episcopum ab electione Canonice etiam excluderint,

atque jus electionis tandem, conniventibus Episcopis, ad solos Canonicos, devolutum sit; quod consuetudine introduci posse probat Innocentius III. in Cap. 31. tit. *de Elect.*

(72. Sicuti naturale est, ut Canonici Cathedralis una cum Episcopo tamquam cum suo Capite eligant corporis sui membra: ita quoque jure communi electio Canonice Ecclesiarum Collegiarum spectare videtur ad Canonicos una cum suo Decano, aut illo, qui cum Canonicis unum Corpus, sive Capitulum constituunt; de jure vide Garziam, et ab eo citatos, de *Beneficiis* part. v. cap. 4. (73. Verum quia multæ Ecclesiæ Collegiatae aliquando fuere Regulares, electio Canonice etiam in pluribus illarum mansit apud solum Præpositum, tamquam qui tempore Regularitatis erat caput Congregationis: idque ad normam Regulæ Monachalis S. Benedicti, et Canonice S. Crodegangi, quæ Abbati, sive Præposito dant facultatem recipiendi Monachos et Canonicos; uti observat Thomassinus de *Discipl. Eccles.* part. v. lib. 2. cap. 9.

ADDITIONES CASINENSES.

(74. Quamvis Episcopus sine Pontificis permissione non possit Cathedralis vel Collegiatae Ecclesias instituere, uti sentiunt Garz., de *Benef.* p. 12. c. 5. Barbos. de *Canon. et dign.* cap. 2. Frances de *Eccles. Cathedr.* c. 3. per tot. tamen servata SS. Canonum consueta forma absque ulla licentia, libere potest novum Canonice erigere, reservato sibi, uti fieri solet, jure patronatus. Innocentius in cap. *Cum accessissent* de const. Caputaq. decis. 221. Bal. in cap. cum M. de const. Et uti propter fructuum diminutionem potest veteres Canonice extinguere, Lotter de *Re benef.* lib. 1. q. 14. et S. Cong. apud Pyrr. *Cor. in prax. Benef.* lib. 2. cap. 3. a num. 61. ita etiam potest vacantem Canonice propter fructuum redundantiam dividere. Zerol. in prax. Episc. verb. *Beneficium*, par. 1. vers. *ad dignitates assequendas*, circa fin.

(75. Formula erectionis, et collationis Canonice vid. verb. *Formule*.

ARTICULUS III.

Quoad ætatem in Canonice, et dignitatibus requisitam, et quoad tempus, intra quod tenentur suscipere ordines suis canonicibus et dignitatibus adnexos.

(1. Ætas requisita, et sufficiens ad obtinendum Canonice in Ecclesia Collegiata est ætas 14. annorum: Super his enim Canonicibus nihil innovavit Concilium Tridentinum, ut censuit S. Congregatio Concilii, teste Gallet. in *Margarita Casuum Conscientiæ*, verb. *Canonicus* 3. pag. 29. Cum Gonzalez ad regul. 8. Cancellariæ gloss. 5. n. 29. Piasec. in praxi nova Episcop. cap. 5. n. 21. pag. 350. Armendar. lib. 1. de *Ætate*, n. 8. Aloysius Ric. et alii passim; adeoque standum est pro his Canonicibus Juris communis dispositioni, secundum quam sufficit ætas 14. annorum pro his obtinendis; cap. *Nuper in ordinata* 35. juncta glossa

verb. *Pueri, de Præbend.* (2. Et hoc est intelligendum, si talis Canonice Ecclesiæ Collegiatae ex sua fundatione, vel statuto, aut consuetudine nullum requirat Sacrum Ordinem, alias deberet de illo providendus esse constitutus in illis Sacris Ordinibus, quos requireret talis Canonice; vel in ea ætate, qua intra annum a Jure statutum posset ad illos Ordines promoveri, ut cum Communi sentit Aloysius Riccius in praxi aurea resolut. 239. n. 3. (3. Et hæc ætas 14. annorum sufficit etiam in Collegiata, in qua spectat cura animarum Canonice non uti singulis, sed uti unitis. Sic decisum fuisse a Sacra Congregat. Concil. refert Gonzal. ad regul. 8. Cancell. in princip. num. 92. Riccius, Piasec., Barbosa, et tenet Rota part. 10. decis. 31. n. 33. (4. Si vero cura animarum totaliter spectet ad aliquem Canonice, vel Dignitatem particularem, requiritur ætas 25. annorum saltem inceptorum, cap. *Cum in cunctis*, 7. §. *inferiora de election.* cap. *Licet Canon. 14. de election.* in 6. ubi sic præcise statuitur: *Decernentes collationes de Parochialibus Ecclesiis his, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas, viribus omnino carere;* et Concil. Trident. sess. 24. de *Reform.* cap. 12. ubi dicit: *Nemo igitur deinceps ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.* (5. Hæc tamen ætas 25. annorum inceptorum requisita ad obtinendos Canonice, seu Dignitates, quibus subest cura animarum, non exigitur, nec est necessaria, quando Canonice, vel Dignitati cura animarum non subest principaliter, sed solum accessorie est ipsi unita. Sic decrevit Sac. Cong. Concil. his verbis: *Si aliqua parochialis esset unita alicui Canonice Ecclesiæ cathedralis accessorie, sufficiunt viginti duo anni.* Ita refert Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 9. num. 4. Galet. in *Margarita Casuum Conscientiæ*, verb. *canonicatus* 51. et verb. *Parochus*, Riccius, Garcias, et alii, et ita fuisse in Rota decisum refert Seraphin. decis. 1138. (6. Circa ætatem requisitam ad Dignitates sine cura in Collegiatis variant doctores, vide verb. *Ætas*, n. 24. et 25.

(7. Ætas requisita, et sufficiens ad Canonice Cathedralis, ubi est facta distributio Sacrorum Ordinum est illa quam exigit Ordo Canonice, id est ad Canonice Subdiaconalem ætas 21. annor. Diaconalem ætas 22. annor. et Sacerdotalem ætas 24. annor. cum omnes respective sint sic in tali ætate, ut infra annum possint ascendere ad ordinem a suo Canonice requisitum; sic expresse Tridentinum cit. sess. 24. de *Reformat.*, c. 14. ibi: « Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, et Canonice, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine Sacro, aut sit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirit, aut in tali ætate sit, ut infra tempus a Jure, et ab hac Sancta Synodo statutum initiari valeat. » (8. Ad Canonice autem Cathedralis, ubi non est facta distributio Sacrorum Ordinum requiritur ætas annorum 22. inceptorum. Sic Sac.